GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII,

HÆREDITARII IN Schwartza/ MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, CONSILIARII ET ARCHIATRI DVCALIS SAXONICI, THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII, FACVLTATIS MEDICÆ DECANI,

PROPEMPTICON INAVGVRALE *DE* MORBO PHOENICEO HIPPOCRATIS.

IENÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.

I. N. I.

SVnt ſuæ & rerum vices non vnæ, quædam antiquitus fuere percognita, hodie ignorantur, quædam ignorata priſtinis ſeculis, hodie inuenta, acceſſione ſua arti pondus addidere. Dummodo vero vtraque conjungamus, velut ex orco reuocari ſæpe poſſunt, & in claram ſiſti lucem, penitus neglecta ac velut ſepulta, in ſcriniis veterum recondita, & inibi latentia, quousque lectorem inueniant attentum, & rei puta peritum, & autorum.

Laudari meretur inter alia MORBVS PHOENICEVS *diuini Senis*, memoratus vno ſaltim loco, *l. 2. Prædictor. c. 49. p. m. 522.* tanto occultior, quanto magis ab ipſis editoribus fuit neglectus & peruerſus, ſeu varietate Lectionum, ſeu interpretum incuria. Textus potior hic eſt: Γίνονται δὲ λεῦκαι μὲν ἐκ τῶν θανατωδεστάτων νουσημάτων, οἷον καὶ ἡ νοῦσος ἡ Φοινικίη καλουμένη· αἱ δὲ λέπραι καὶ οἱ λειχῆνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν. *Fiunt autem leucæ quidem ex lethaliſſimis morbis, qualis eſt & morbus Phœniceus appellatus: Lepræ vero & impetigines ex melancholicis,*

Legunt

Legunt quidam pro φοινικίη, φθινικὴ, & vertunt tabem, ſeu morbum tabidum, ſed contra fidem codicum correctiorum, quibus *Galenus* ipſe aſſentitur, & rei ipſius, de qua textus agit, euidentiam. Enimuero loquitur manifeſto de exanthematibus, quæ fiunt κατ᾽ ἀπόστασιν, *per abſceſſum*, quod plane abſurdum eſt de morbo tabido prædicare. Et ſi hunc voluiſſet innuere, φθινώδεις potius, ſolenni ipſi voce, appellatus fuiſſet, qui inter chronicos ambulat, plane non huc quadrans; quamuis negandum non ſit, & phthiſin aliquando occaſione febrium malignarum poſſe ſubſequi, qualem a variolis funeſtam vidimus.

Maioris momenti eſt κριτήριον, hoc vno remoto, quisnam intelligatur alius, poſita genuina Lectione, per morbum hunc; ſeu quisnam ſit morbus phœniceus hic. Elephantiaſin intelligi, ſeu lepram veram Arabum, non pauca argumenta afferri poſſunt.

Quis non credat id aſſerenti *Galeno*, qui in *Exegeſ. vocum Hippocr.* φοινικίη νοῦσος, *ait*, ἡ κατὰ Φοινίκων καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἀνατολικὰ μέρη πλεονάζουσα. δηλοῦσθαι δὲ κἀνταῦθα δοκεῖ ἡ ἐλεφαντίασις. *Phœniceus morbus, qui in Phœnicia aliisque orientalibus regionibus frequens eſt. Videtur verò & inde ſignificari elephantiaſis.*

Et ibidem ad vocem φοινίκινος *addit*, ἀπὸ τοῦ χρώματος οὕτως εἰρῆσθαι τὴν ἐλεφαντίασιν ὑπονοήσειεν ἄν τις, *a colore ita dici elephantiaſin ſuſpicari quis poſſet.* Acquieuere in hoc, quibuscunque forte hic locus legendo ſe obtulerit, quo nomine laudamus *Thuanum, l. 7. Hiſtor. ad annum 1550. p. m. 133.* A loco ſudori Anglico nomen inditum: ſicuti elephantiaſis phœnicius apud Hippocratem

in prorrheticis, lues venerea *Gallicus morbus dictus* eſt.

Fuerit itaque iuxta hanc ſententiam a regione dictus potius, quam a colore. Accedit tamen, quod dictæ elephantiaſi colorem ſubrubidum aſſignet *Galenus* ipſe quoq; *l. de atra bile c.3. p.m. 35.* vbi ſcribit: cum ater humor qualitatibus mitis remiſſusque eſt, ac ſanguini commixtus, ſubrubros elephantes parit; ne *Aretæum* citemus, qui Satyriaſin ob ruborem malarum appellari ſcribit *l.2. diut. c.13. p.m. 128.*

Verumenimvero in confeſſo eſt, ruborem non eſſentialem eſſe, proprium & vniuerſalem elephantiaſi, ſed accidentarium potius. Neque vllo probato autore euincitur, κατ᾽ ἐξοχὴν & præcipue Phœnicibus fuiſſe hunc morbum endemium, familiarem, & præ aliis adſcriptum; quin æque ſaltim communis & frequentior Ægypto fuerit, teſte ipſomet *Galeno*, qui de Alexandrinis id ſcribit, *l.2. de art. curat. c.10.* ob victus rationem & feruorem; & *Lucretio l.6. de rer. natur.*

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
gignitur Ægypto in media, neque præterea vsquam.

Adde, quod dicendis etiam apprime quadrat, elephantiaſin, verbis *Celſi l.3. c.25.p.m.360.* morbis longis annumerari.

Vt itaque magis clareat mens Hippocratis, & textus vniuerſus, ponendum merito, ſub finem prædictorum, ſeu fundamentorum prognoſeos, inter alia, voluiſſe illum & effari mentem de prognoſi, ſeu ſignificatione & conſideratione exanthematum. Id enim conforme eſt toti libro, & naturæ rei. Hinc, cum qui bene diſtinguit, bene doceat, diſcrimen facit inter exanthemata, nominatim leucen & morbum phœniceum, vt extra febres, &

in

in febribus emergentes, vt morbum & abſceſſum, vt primarium & ſecundarium.

Hoc ipſo ſeparat vnum ab altero, morbum ab abſceſſu, & hunc ab illo, ne confundantur, ſollicite monens. In genere exanthematibus accenſet leucen & morbum phœniceum. Ἐξάνθημα eſt vtraque ſpecies. λεύκη ἐξάνθημα audit *Philoſopho* quoque *l. 3. Hiſt. anim. c. 11.* idem de morbo phœniceo verum eſt.

Inſinuat enim hoc ipſo, duplicis generis eſſe hæc ἐξανθήματα, ſeu alba, λευκὴ, ſeu rubra, quæ phœnicei morbi titulo effert. Exanthemata vero audiunt vſitata mechanica florum, quia effloreſcunt quaſi, & videnda ſe ſiſtunt in cute. Cumque ſeorſim, & vt abſceſſus deprehendantur, notas characteriſticas ſpeciales addit certis prædicatis incluſas. Abſceſſus ſcilicet eſt ipſi ἐξάνθημα aliquod horum, quando fit (1) πολὺ, *multum*, quando non vna & altera macula, vel papula, adeſt, ſed plures, magis confertim, apparent. Vt vna hirundo non facit ver, ita non vnum exanthema abſceſſum, ſed plura.

(2) Ἐξαπίνης, *deſubito, derepente*, vt diſtinguantur ſic ſimul acuta a chronicis, quæ vel iuuenibus vel pueris adhuc oborta, vel ab exiguo initio multo tempore augeſcunt, & ſic diu durant, quæ omnia non ſunt abſceſſus, & febris accidens, ſed ſui quaſi iuris, νόσημα, *morbus*.

(3.) Mali moris, ἐκ τῶν θανατωδεστάτων νοσημάτων, *ex lethaliſſimis morbis*, vtraque & leuce & morbus phœniceus, eiusdem ſic commatis. Nec obſtat, & hunc morbum dici, communi latiori acceptione, prout ſolent res præter naturam ſymboliſare & in nominibus, altera pro altera accipi.

Notanter tamen prioribus locis νοσήματα vocantur,

poſteriori ἡ νοῦσος, ἡ Φοινικίη καλεομένη, quibus innuitur manifeſto, & hunc per omnia in hoc conuenire cum leuce, vel leucis, ad denotandam pluralitatem, ac itidem per ſe exiſtere, dari, occurrere, & hoc loco potiſſimum, tanquam acceſſorium, quod ſequitur ſuum principale.

Principalis morbus ſunt febres continuæ malignæ, peſtilentes, peſtis ipſa; hæ enim ſolæ merentur θανατωδεστάτων *lethaliſſimorum* nomen. His enim tertia pars hominum, vt loqui ſolemus, moritur fere, & ipſæ variant quidem in gradu vt acutiei, ita & malignitatis; in genere tamen, ſi exquiſitæ ſint, ſunt lethales, non quidem abſolute, & actu, ſemper: attamen reſpectiue, potentia, & periculo præſentaneo, vtplurimum.

Meminit vero elephantiaſeos quaſi κατ' ἄρσιν. Notabile eſt, id nominis apud Hippocratem non occurrere, ſine dubio tamen αἱ λέπραι, in textu hoc memoratæ, & illam comprehendunt ſimul, ſiquidem collato eodem cum *l. de affect. c. 35. t. 1. ſeqq.* modo a pituita fiunt, mitiores longe, modo a melancholia, vt hoc loco.

Sed vt ad rem redeamus, ſi iam ſpecialius inquiratur, quænam proprie exanthemata intelligantur ex illis phænomenis, poſt, quam jam de elephantiaſi mentem expoſuimus, non ſane accipi poſſunt variolæ per leucas, morbilli per morbum phœniceum. Sunt quidem hæc quoque abſceſſus, & notisſimus præ aliis, ſed nemo extra febrim laborat alterutro morbo, neque dantur niſi ſola abſceſſus ſpecie, & quidem maxime eminenti, vnde per ipſum textum excluduntur.

Eadem ratio eſt petechiarum, quas hodie appellamus. Quamuis enim & hæ ſint exanthemata, & non ſolum in febribus malignis, ſed & peſte ipſa ſæpenumero

inſper-

inſperſæ cuti appareant; nihilominus tamen non habent relatum affectum alium, quo cum collatæ in album & rubrum dirimi poſſint, neque itidem extra febres compareant, niſi maculas ſcorbuticas huc referre velimus.

Si dicere fas eſt, quod res eſt, videntur olim ſub exanthematum titulo ac genere vt plures comprehenſæ ſpecies, ita ſeorſim latius petechiæ ac purpura, non adeo accurate inter ſe diſtinctæ. Hodie vero ex praxi clinica, oculari illa & quotidiana, merito diſtinguuntur, vt genere quidem intemperiei, exanthematum, ſuo modo, & certo reſpectu, ſenſu laxiori, videantur eſſe vniusmodi; ſed ſi curatius illa æſtimemus, & ouum ouum, ſcapham ſcapham nominare velimus, reuera mereantur diſcriminari, non aliter ac variolæ a morbillis, hæ a petechiis diſtinctæ ſunt, licet quodammodo ſymbolicæ.

Quid multa? purpura duplex in praxi, adeoque re ipſa occurrit, citra febrim, & febrilis. Illius meminit *Cous l. 2. de morb. c. 68. t. 10.* quando rubicundis cutem eminentiis impleri ſcribit, velut ab vrtica inuſtis. Huius tum noſtro hoc textu, tum alibi. Nota ſatis hodie eſt purpura ſcorbutica, & purpura febrilis, ſeu febris purpurata, purpura puerperarum, & aliorum.

Non minus quoque purpura duplex eſt ratione generis, ſeu coloris, alba & rubra, vtraque dicta Germanis der Frieſel/ a criſpando, (frieſiren enim Germanis eſt criſpare,) ſeu aſperitudine coniuncta cutis. In leuce, elogio *Galeni introd. c. 13.* cutis aſpera eſt, ſed minus quam in lepra. In purpura rubra rubeus magis color, in alba reſpectiue dicta albidus ſeu pallidus magis, vtrobique vero aſperitas viſenda, & inæqualitas.

Pertinent huc plures *Hippocratis* obſeruationes,

vt

vt *l. 2. epid. S. 3. t. 21.* vbi in febribus circa diem ſeptimam, octauam & nonam τρηχίσματα *aſpretudines* factas in cute, miliaceas, culicum morſibus maxime ſimiles, non valde pruriginoſas notauit. Per has nullatenus morbilli intelligi poſſunt, vt *Martianus* vult, *comm. in h. l.* quod nec tempus hoc obſeruent, nec genium vel typum hunc præ ſe ferant. Sic & *in Coac. c. 2. t. 162.* de illis agit, quibus χρὼς ἐρυθραίνεται, οἷον ἐξανθίσματα, *corpus velut a puſtulis rubeſcit*; ne plura laudemus.

Ipſæ vero petechiæ partim colore diſtinguuntur a purpura, partim & maxime planitie, & æqualitate, citra eminentiam & criſpaturam vllam, pulicum morſibus magis ſimiles, a quibus & diſtinguendæ.

Cum vero vtriusque color definiatur, & variet, operæ pretium eſt, nec hunc indictum relinquere. Vtrisque applicari poteſt locus ex *l. 1. prædict. c. 7. t. 10.* καὶ τὰ ἐρυθρὰ ἐκ τούτων ἐπανθίσματα κατεχόμενα, καὶ τὰ ἰώδεα πονηρά. *Et rubicundæ ex his efflorescentiæ occupantes, & violaceæ malæ ſunt.* Color ſcilicet ἐρυθρὸς, *ruber*, communis & loco generis eſt, ſub ſe continens velut ſpecies phœniceum & purpureum.

Perinde eſt, vt *Galenus* ipſe notat *comm. 2. progn. t. 39.* an a phœnice, fructu palmæ arboris, phœniceum, an an phœniceo phœnica dictum ſtatuamus. Vtut itaque plura ad illuſtrandum hoc nomen afferri poſſint autorum loca, paucioribus tamen contenti erimus hac vice.

Sunt, qui colorem badium, ſeu ex rubro fuſcum paulo, qualis eſt caſtaneæ, (Caſtanien-braun) per phœniceum ſibi concipiunt, ac explicant. Aſt *Plauto* manifeſto hæc duo nomina, purpureum & puniceum, ſibi contra

diſtin-

diſtinguuntur *Menæchm. Act. V. Sc. V.* vbi infit: *quin tu interrogas, purpureum panem, an puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum.* Idem phœnicium corium pro rubro ſeu cruento ponit *Pſeudol. Act. I. Scen. II.*

Inſigne exemplum coloris huius præbet famoſiſſimus equus Seianus, qui & ob poſſeſſores infelices prouerbio locum dedit: *ille habet equum Seianum.* Hunc *A. Gellius l. 3. Noct. Attic. c. 9. p. m. 93.* fuiſſe ſcribit colore phœniceo, quem vigore explicat exuberantiſſimum, vbi plura legi merentur. Vt noſtram dicamus mentem, videntur color purpureus & phœniceus vel latiori, vel ſtrictiori accipi ambitu: illo conuenire, hoc diſtingui.

Enimuero, vt in noſtro maneamus foro, qualis ſit color phœniceus, vix melius concipi poteſt, quam flore anagallidis, ab ipſo *Anazarbeo* phœniceæ dictæ, qui ruber quidem, ſed purpureo eſt pallidior, ipſo ſenſu teſte; adeoque color hic magis ad rubedinem tendere, ſaturo ſatis colore, exemplo roſæ purpureæ, ſtatuendus eſt. Vid. *D. Maior. l. de purp. p. 6.*

Subſtant hiſce diuerſi gradus intenſionis ac remiſſionis coloris laudati rubri, magis tamen & minus neque hic variant ſpeciem. Vnicum exemplum præbeant flores centaurii minoris, cuius ἄνθη ἐν τῷ φοινικῷ ὑποπόρφυρα πρὸς τὰ τῆς λυχνίδος, *flores e rubro in purpureum vergentes ad inſtar lychnidis*, aſſignantur a *Dioſcoride l. 3. c. 60.*

Confirmat dicta de purpura alba & rubra in febribus malignis *Ebnſina l. 4. fen. 1. tr. 4. c. 2. p. m. 806.* Et quandoque accidit, *inquit*, cum ea bothor flaua, ſeu ſubalbida, & rubea, & quandoque eſt velocis apparitionis, & velocis occultationis.

Elegantius adhuc & complete magis de iiſdem hiſce omnibus agit *Actuarius l. 1. Meth. Medend. c. 23. p. 49.* vbi cum de ſudoribus, in febribus cumprimis, tum de exanthematis, ſeu maculis, quæ in cute efflorescunt, vberius agit, & has modo veluti ſi ab vrtica aut culicibus eſſent demorſi, nonnullis rubras, aut purpureas, vel etiam nigras emergere ſcribit, quales ex pulicum cimicumq; morſibus quotidie nobis apparent; ex rubris vero deteriores eſſe purpureas, & omnium peſſimas nigras, quippe quæ mortem plerumque denuncient; ne reliqua laudemus. Plura hanc in rem videri poſſunt apud *Neucranzium l. de purpura*.

Præfari hæc voluimus, occaſione Diſputationis Inauguralis, de APHONIA, Clariſſimi & meritiſſimi medicæ Artis Doctorandi

CHRISTIANI BILHOCH,

MAGDEBVRGENSIS.

Natus is eſt in incluta Ducatus cognominis metropoli, Anno reparatæ Salutis MDCLIX. D. XIV. menſis Aprilis, parentibus honeſtiſſimis, Patre MARTINO BILHOCH, mercatore integerrimo; matre ANNA LÜNZELIA, vtriſque pie defunctis.

Simul per teneram ætatem licuit, primum priuatæ, hinc publicæ informationi Clariſſimorum & Optimorum Præceptorum concreditus fuit, quos inter maxime deprædicat M. GOTTERIFDVM CVNOVIVM, Gymnaſii Rectorem celeberrimum, & M. IOHANNEM SÖLDENERVM, Con Rectorem, hinc Reipublicæ Senatorem ampliſſimum.

Iactis debitis in humaniori literatura fundamentis

Anni

Anni M DC LXXIX. in Almam Iuliam miſſus, ibidem per tres annos, maxime Reuerendorum & Excellentiſſimorum Profeſſorum ſcholas frequentauit, Phyſicas GERHARDI CELLARII, Metaphyſicas IACOBI NIEMEIERI, Linguarum orientalium P. BVSCHMANNI, Logicas CHRISTOPHORI WIDEBVRGII; Theologicas vero, quibus primitus animum applicuerat, non minori ſtudio D. GERHARDI TITII, & MEIERI, piæ memoriæ. Idem proſecutus eſt ſtudium in incluta tam Philurea, M DC LXXXII. quam anno ſequente in Roſtochienſi Academia, ex qua ſuperſtitem veneratur ſumme Reuerendum D. PERSEROVIVM, hodie in Regiomontana Regia Vniuerſitate S. S. Theologiæ Profeſſorem ac Præſulem celeberrimum.

Cum vero ob morbum matris M DC LXXXIV. domum vocatus eſſet, mutato conſilio de ſtudiorum progreſſu, data occaſione peregrinationem ſubiit, viſa Auſtria, Sileſia, Polonia, Moſcouia, Liuonia, Suecia, Dania, Belgio, Anglia, in qua triennium & vltra conſumpſit. Hinc anno M DC LXXXIIX. ad artem ſeruandorum hominum ſtudiis directis, eo nomine in florentiſſimam Leucoream Academiam ſe contulit, & in hac, & noſtra hinc ſedulam operam nauauit in audiendis & ſectandis celeberrimorum Profeſſorum Lectionibus publicis atque priuatis.

Poſt enim, quam per integrum annum ſolertiſſimas ἀκροάσεις, D. IOHANNIS GOTHOFREDI BERGERI, & D. CHRISTIANI VATERI, Witebergæ hauſiſſet, Anno M DC XCI. d. XII. Iul. ad nos delatus, audiuit magno cum fructu Diſcurſus & Lectiones priuatas Venerandi Facultatis Senioris, D. RVDOLFFI WILHELMI KRAVSII. Interfuit Botanicis, Chirurgicis, & Anatomicis Exercitiis, ac demonſtra-

tioni-

tionibus D. GVNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI, hodie in Chilonienſi Academia Profeſſoris Primarii; item D. IACOBI WOLFFII, & D. IOHANNIS HADRIANI SCHLEVOGTII informatione fideliſſima vſus eſt.

Cumque ipſe in teſtimonium vocer, in theoreticis, Practicis, & Chimicis, non minus ac aliis inſtitutis exercitamentis variis ſedulum ac indefeſſum ſe exhibuit auditorem. Adeoque per tres annos abſolutis ſtudiis academicis, ad praxin exercendam Hamburgum conceſſit, vbi illam trium annorum ſpatio haud carentem felici ſucceſſu expertus eſt.

Et diuino hinc nutu, inuitatus ad ægrum curandum, Regiomontem Boruſſorum venit, vbi hactenus non ſine gloria & fructu conſimilis fortunæ ſubſtitit. Poſt tot annorum ergo decurſum nil deerat, quam vt publico charactere exornatus cum præmium impetraret ſtudiorum exantlatorum, tum porro ſe aliis commendaret.

Grati hinc animi & priſtini candoris memor, ad nos nuper reuerſus, deſiderium ſuum expoſuit modeſte Facultati, cuius conſenſu & approbatione potitus in eo eſt, vt proximo die xxx. Septembris ſuperius laudatam Diſputationem ſolennem, ſub Præſidio KRAVSIANO, in Cathedra exponat.

Huic panegyri, vt Magnificus Academiæ Pro-Rector, Excellentisſimi Academiæ Patres, & omnium Ordidum, Dignitatum & ſtudiorum Amplisſimi ac exoptatisſimi Hoſpites beneuole intereſſe dignentur, perofficioſe ac peramanter, nomine collegii Noſtri, rogo & contendo. P.P. Ienæ, ſub Sigillo Facultatis Medicæ, Anno MDCCII. Feſto Michaelis Archangeli.

(L. S.)